





8908.

DISSERTATIO INAUGVRALIS IVRIDICA

#. 27.

DE 1730/14

15

MVLIERE
 CONTRA
**SENATVS CONSVL-
 TVM VELLEJANVM & AVTH.**
 SI QVA MVLIER, OBLI-
 GATA,

QVAM

ILLVSTRIS JCTORVM ORDINIS
 IN ACADEMIA ERFVRTENSI
 CONSENSV,
 SVB PRÆSIDIO
DN. CONR. WILHELMI Strecker,

JCTI,

JVRID. FACVLT. NEC NON IVDICII ELECTORAL. PROVINC. ASSESSORIS,
 PROFESS. PVBL. ET SENAT. ERFVRT.

PRO LICENTIA

SVMOS IN VTROQVE IURE HONORES ATQVE PRIVILE-
 GIA RITE ET LEGITIME CAPESSENDI,
 SOLENNI ERVDITORVM DISQVISITIONI SVBMITTIT

FRIDERICVS GOTTLOB Bedl

Dresdens.

ADVOCAT. SAX. IMMATICVLATVS.

IN AVDITORIO JCTORVM MAIORI, HORIS CONSVET.
 DIE XXX. OCTOBRIS M DCC XXX.

ERFORDIÆ, Typis JOH. CHRISTOPHORI HERINGII, Acad. Typogr.



DISSELTATIO INAVGVRALIS IVRIDICA

DE

MVLLERE

CONTRA

SENATVS CONSVL-

TVM VELLEIANVM & AVTH-

SI QVA MVLLER, OBLI-

GATA,

QVAM

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS

IN ACADEMIA ERVVRITENSI

CONSENSV

SVB PRAESIDIO

DR. CONR. WILHELMII

ICTOR

IVRID. FACVLT. REC. NON IVRID. FACVLT. PRAESID. ASSESSORIS

PROFESS. IVRID. ET SENAT. IUR. ET

PRO LICENTIA

SVB AUCTORITATE ET HONORE ATORE PRIVILE-

GIUM ET AUCTORITATE SENAT. IUR. ET SENAT. IUR. ET

FRIDERICVS GOTTLIBVS

DR. IUR.

IN AVDItorio ICTORVM MAIORVM CONSVLTI

DIE XXV OCTOBRIIS ANNO MDCCLXXV

REACTVS: The Hon. CHRISTOPHOR. HERNON, Auct. Theop.





DISSERTATIONIS INAUGVRALIS IVRIDICÆ
DE
MVLIERE CONTRA SCTVM
VELLEJANVM ET AVTH. SI QVA
MVLIER. OBLIGATA



§. I. IN derivatione ac declaratione signi-
ficationis verborum nolimus mo-
rari, cum satis superque constet,
quod vocem: *mulier*, dictam ve-
lint à mollitie, quia respectu viri
mulier debilis arque mollis cense-
tur. VARRO *de ling. lat.* & im-

Derivatio &
declaratio
verborum in
rubro contet-
torum.

presentiarum in lata significatione pro sexu muliebrī
& quatenus sexui masculino opponitur, accipiatur,
quo sensu omnes puellæ, virgines, viduæ & maritatae
veniunt. *L. si. §. 1. ff. de legat. 3. L. un. C. de rapr. virg. L.
25. §. 9. ff. de aur. & arg. leg. imo & hermaphroditi, si
sexui femineo propius accedant L. 10. ff. de stat. hom.*
Senatuscōsulti vocabulum à senatu & consulto origi-

obortio
iudicium
in iudic. iud.
& stelle
sup. h. d. d.
arg. restora
m. d. d.

1751



nem traxit, dictus autem est senatus à senibus, quibus ob rerum experientiam & notitiam potissimum hæc sparta fuit delata. *L. 5. ff. de jur. immun. L. 8. ff. de muner. & honor.* Consultum verò à consulendo nomen tulit, quia ad consultationem Senatûs fieri solebat. *L. 2. §. 9. ff. de O. F.* siquidem populum Romanum nimium auctum difficile fuit legis ferendæ gratiâ in unum convocari, hinc æquum visum fuit, senatum vice ejus consuli. *§. 5. l. de F. N. G. & C.* Vellejanum vocatur à Vellejo Tutore, qui cum Marco Syllano de fœminarum intercessionibus verba ad senatum fecit *L. 2. §. 1. ff. de SCto Vellej.* Hi duo consules quidem in fastis consularibus non reperiuntur, hinc credibile est eos non fuisse ordinarios & ab initio anni creatos, sed in locum demortuorum aut remotorum substitutos esse *MEJ. in C. F. A. ad tit. de SCto Vellej. th. 3.* Auth. si qua mulier. translata ex *Nov. 134. C. 8.* suam debet originem Justiniano Imperatori, qui plenius uxori succurrendum esse putavit, cum jure Codicis uxor & intercessionibus validè obligaretur, sed ope exceptionis se tueri poterat *L. 16. C. ad SCrum Vellej.* sed constitutione suâ novissimâ eam obligationem annullavit, & actam scriptamque pro non scripto aut facto voluit. *PEREZ in Cod. ad h. tit. n. 14.* Vox: obligatâ, descendit ab obligando sive vinciendo, utpote quod notissimum est.

Quomodo
mulieribus
per SCrum
Vellej. &
Auth. si qua
mulier pro-
spe&um.

Plenissimè igitur fœminis omnibus subventum est per SCrum Vellejanum extans *in L. 2. §. 1. ff. ad SCrum Vellej.* ita, ut fidejubendo, mandando, constituendo, expromittendo, dando pignora, alium defendendo, rem

rem etiam propriam pro alio vendendo *L. fin. §. 2. eod.*
aut quocunque alio obligationis genere per modum
intercessionis apud alios quosque *L. §. C. eod.* pro aliis
quibuscunque efficaciter sese obstringere haud vale-
ant, in specie vero uxores, si semetipsas aut propriam
substantiam pro maritis obligatam faciant, sive sit de-
bitum privatum sive publicum, nullatenus tenentur.
Auth. si qua mulier.

§. III.

Causam, quare mulieribus id ipsum specialiter fue-
rit indultum, assignant aliqui ex ipsa *SCti* formulâ *in d.*
L. 2. §. 1., quod nempe intercedere sit officium virile,
quò etiam collimare videtur *VLPIANVS in L. 2. pr. ff.*
de R. J. ubi in genere fœminas ab omnibus officiis
civilibus aut publicis removet, huic generi deinde
tanquam speciem subjicit pro aliis interventionem.
Sed ratio hæc ex *dd. text.* desumpta non aded com-
moda videtur, cum ejusmodi intercessiones & con-
ventiones, pleræque enim sunt juris gentium *L. §. ff.*
de J. & J., ad officia civilia vel publica male referan-
tur, & licet stipulatio ac proinde etiam fidejussio sint
creaturæ juris civilis, nequeunt tamen officium civile
vel publicum dici, quia nemo invitus ad ejusmodi con-
tractus ineundos compelli potest, adeoque officiis pu-
blicis atque muneribus non recte annumerantur *L. 214.*
ff. de V. S. accedit, quod ante *SCtum* hoc prohibita
fuerint fœminis virilia officia, nec tamen intercessio
tunc temporis vetita *L. 1. §. 1. ff. ad SCtum Vellej.* Un-
de hæc ratio potius prætextus vocatur, quam causa.
vid. BACHOV. Vol. 1. in tr. disput. 25. th. 2. lit. C.

an obstru
nōs. Bubon
et de pello
et anillio
et de pello
et anillio

Pro causa im-
pulsiva intro-
ducti *SCti* al-
legant aliqui
incapacitatem
mulierum ad
officia civilia.



§. IV.

Vera ratio in-
troducti SCri
Vellej. est im-
becillitas sex-
us, & peri-
culum rei fa-
miliaris.

-mi dno est
-mori vobis
-le hde hnd
-supit reo
-mratoregan
-ha munitum
-silivio sibio

Sed vera ratio ponenda est in imbecillitate & fra-
gilitate mulieris, & periculo rei familiaris, nam cum
Amplissimus Ordo animadverteret, quod genus mulie-
bre maritalibus aliisque blanditiis in fraudem ad susci-
piendum sponsonis onus facile illici posset; Sponde-
re enim initio videtur leve, utpote cum sponsio solum
voluntatem, nullam autem pecuniæ præstationem re-
quirat, ut modo haud difficili ad id, velut & ad bono-
rum oppignorationem, infirmus muliebris animus per-
duci possit, non considerans tritum illud: Sponsonis
comes noxa est; Hinc commotus propter sexus imbe-
cillitatem & periculum rei familiaris hoc ipso SCto
opem ei tulit. *L. 2. §. 2. ff. ad SCtum Vellej.* ne sexus mu-
liebris imbecillitas in perniciem substantiæ earum con-
vertatur & fragilitate naturæ in repentinam deducan-
tur inopiam. *per l. quib. alien. lic. vel non. L. un. §. 15. C.
de rei uxor. act.* Et quoniam experientia docuit, quod
mulier facilius seducta fuerit, ut pro marito suo inter-
cederet, idque propter blanditias maritales, metum, &
reverentiam, quam ei debet, motus Imperator, ut il-
lam intercessionem ab uxore à marito factam planè
annullaverit. *Nov. 134. C. 8. §. auth. si qua mulier.* Et
quamvis aliàs iterationis major sit effectus, quam sim-
plicis actus, nihilominus tamen uxor, licet post duos
aut etiam plures annos reiteret consensum suum, ob
præsumptionem blanditiarum a marito continuata-
rum non vinculatur. *PEREZ in C. tit. ad SCrum Vellej.
n. 15.*

VI.2

§ A

§. V.

§. IV.
 Hæc in thesi suâ gaudent firmitate, ast qualem dis-
 putandi materiam hæc mulierum intercessiones in fo-
 ris suppeditant, quotidianâ comperimur experien-
 tiâ; Sunt, qui sexui huic sequiori nimium favent,
 ejusque privilegia in aliorum detrimentum in im-
 mensum extendere allaborant, sunt etiam, qui ejus im-
 becillitatis ac fragilitatis plane immemores in nimiam
 declinant duritiem, & ea, quæ impetrarunt, beneficia,
 pro parte non Imperatori, sed Imperatrici adscribunt,
 nos eam tenebimus viam, ne ofores, aut adultores hu-
 jus sexus existere videamur, hinc jus, quod ei debetur,
 detrudere, & quod non debetur, addere nolumus.

Varie in foris
 obveniunt al-
 terationes ob
 nimiam ex-
 vel restrictio-
 nem Scti Velle-
 jani.

§. VI.
 Sic fœminæ illustres, ut Reginae, Ducissæ, Comi-
 tissæ, Regalia & jurisdictionem habentes, intercessio-
 ne ab iis factâ, ad beneficium Scti Vellejani provoca-
 re non possunt, elidetur ipsarum intentio replicando,
 quod sicuti virilibus & magni momenti negotiis susti-
 nendis sufficiunt, ita in ejusmodi Heroinas non facile
 imprudentia aut judicii consilii que imbecillitas cadat.
 Propterea ille, qui ipsarum fidem in contrahendo se-
 quitur, non tam statum muliebrem, quam dignitatem
 illustrem, atque administrationem in omnibus virili
 administrationi similem respexisse videtur. HERING.
 de fidejuss. 6. 7. n. 517. STRUV. S. I. C. Exercit 21. th. 12.
 Conf. CARPZ. p. 2. C. 15. def. 9. dissentit STRYCK. U. M.
 ff. ad Sctum Vellej. §. 7.

Fœminæ illu-
 stres non gau-
 dent Velleja-
 no.

§. VII.
 Non rara mulier, cujus pectus dolo instructum,
 aut

Dolus privat
 mulierem suis
 beneficiis.

et in
M. 2. 1. 1. 1.
de am
de m
S. 1. 1. 1.
L. 1. 1. 1.

utpote si virum mentiatur, aut alio furo simulaverit, aut alio quocunque modo fraudem machinetur, beneficio SCTi & authenticæ si qua mulier, indigna est. L. 30. ff. § 18. C. h. t. Deceptis enim non decipientibus opitulatur SCTum L. 2. §. 3. ff. eod. earumque infirmitati, non calliditati consulitur. L. 5. C. eod. Nemini fraus sua patrocinari debet. L. 2. C. qui milit. poss. vel non. L. fin. C. de R. C. Instar minoris, qui circumveniendi creditoris gratiâ majorem se mentitus est, quo ipsò remedium restitutionis perdit L. 2. 3. C. Si min. se maj. Hinc etiam

Si mulier induxit creditorem ad credendum marito, non fruitur Vellejano, & Auth. si qua mul.

§. VIII. Quamvis mulier blanditiis maritalibus circumventa pro marito intercedat, si tamen creditorem, qui mutuum dare, aut contrahere nolit, ad credendum marito inducat, aut persuadeat, non gaudet SCTo; Dolus enim mariti, quo ipse ad eam circumveniendam usus est, non operatur, quo minus ipsa in circumveniendo creditorem dolosè egerit, neque dolus mariti nocere debet Creditori, qui ipse deceptus est. L. 4. §. 20. de dol. mal. & met. except. Idem obtinet, si maritus res uxoris, eâ consentiente, obligaverit creditori ignorant, & mulier præstiterit patientiam, Vellejano locus non datur, quia mulier permittens res suas, ut res mariti, pignori dare, creditorem decipere voluit, similis casus habetur in L. 5. C. ad SCTum Vellej. conf. BRVNN. ad h. L. MOLINA de j. & j. disp. 540.

Mulier beneficiorum suorum non ignorat, inter-

§. IX. Hodie non infrequens est, quod mulieres suorum beneficiorum tempore intercessionis non ignoræ, nihilominus tamen conventæ ad exceptiones putativè sibi

sibi competentes confugiunt, sed huic calliditati minime favendum censemus, nam si mulier sciat, se non obligare & sese tutam esse, & de SCTo velit excipere, eo ipso est in dolo. REIGER in suo Theat. Jurid. ad SCTum Vellej. n. 14. Et obtinet hic regula: cujus per errorem dati repetitio, ejus consulto dati donatio est L. 53. ff. de R.I. BRVNN. ad L. 9. n. 2. C. ad SCTum Vellej. Hic decipiendi animus probatur ex conjecturis, si forte mulier amicis aliisque presentibus fassa fuerit, se scire, non valide intercessuram, MANTZ. de fidejuss. C. 3. n. 16. BRVNN. ad L. 30. ff. ad SCTum Vellej. Deficientibus autem conjecturis aliaque probatione juramentum mulieri desuper deferri posse, nulli dubitamus. Illa enim quæ in animo consistunt, juramento explorari debere, vulgò notum est. CARPZ. Pr. Crim. Q. 56. n. 67. Et licet dolus infamiam inurat, abundè tamen evincit L. 9. §. 2. ff. de jurejurand., etiam in famosis locum esse delationi juramenti.

cedendo efficaciter obligatur.

§. X.

Contingit & frequentissimè, quod Creditores opinentur tutius contrahere cum uxore, quàm cum marito, & illam desiderant debitricem principalem, hunc verò fidejussorem, sed minus cautè, maxime si Creditor sciat, uxorem in mariti utilitatem contrahere, imo si quis cum marito & uxore simul, aut cum sola uxore presente marito & fidejubente contrahat, præsumitur pecunia integra ad maritum pervenisse L. 22. §. 12. ff. solut. matrim. BERLICH. p. 2. Concl. 19. n. 65. & mulier exceptione Vellejanita est. Hoc tamen fallit, & mulieri non succurritur, si in obligatione exprimat speciales

Mulier principaliter contrahens, marito fidejubente, tuta est SCTo, nisi dolose agat.

B

necess

necessitates, ad quas opus habeat pecunia, quas licet contra veritatem allegaverit, & pecuniam in propriam utilitatem non verterit, sed forte in maritum vel alium transtulerit, Vellejano tamen non gaudet, cum dolo non careat. *L. 5. C. ad SCtum Vellej.* vid. STRYCK. *C. C. Sect. 2. C. 6. §. 11.* VALENT. FRANCK. *tr. de Fidejuss. C. 2. n. 163.*

§. XI.

Si mulier sola principaliter contrahat, licet creditor sciat, quod in commodum alterius contrahat, non juvatur Vellejano.

Proinde si mulier sola se ream principaliter constituat, cum alius obligari debuit, ad quem contractus pertinebat, veluti si mulier, cum alius pecuniam mutuam acceperit, eo nomine se Creditori principaliter obligaverit, deficit Senatus Consulti auxilium *L. 4. C. ad SCtum Vellej.* licet Creditor sciat, uxorem in commodum tertii aut mariti contrahere, quia Creditor non tenetur curiose inquirere, in quem usum mulier pecuniam datam convertat. *L. 13. C. ad SCtum Vellej.* maxime si creditor ab uxore primum interpellatus fuerit, ut cum ea contraheret, tunc enim nulla fraus adesse videtur. VINC. FRANCK. *Decis. 217. n. 2.* & non relevabit mulierem, quod creditor sciverit, licet hoc probaverit. WESSENB. *in Cod. ad SCtum Vellej. n. 9. §. 21.* Secus autem si maritus compellavit creditorem, & ita tantum color quæsitus. tunc enim uxor collusoriè tanquam debitrice principalis constituta censetur *L. 29. §. 1. ff. ad SCtum Vellej.* Aut si creditor cum alio contracturus personam mulieris elegerit, hæc calliditas creditoris mulieri obesse non potest *L. 19. C. eod.*

§. XII.

Si mulier pro-
pria nego-

Adeoque si mulier proprium gerat negotium, vel statim

statim ab initio, vel in effectu, ab initio quidem, si firm-
 pliciter conducat, permutet, emat &c. regulariter æquè
 ac vir obligatur. *L. 13. pr. L. 25. in fin. L. 27. ff. ad SCrum
 Vellej.* & hoc nisi fieret, cum fœminis nemo contrahe-
 ret. In effectu proprium negotium gerit, quando
 intercessio vel obligatio in rem utilitatemque mulieris
 vertitur, & intercedendo non redditur pauperior, sed
 rem suam facit locupletiolem vel meliorem. *L. 21. ff.
 eod.* Hinc si sui ipsius creditoris obligationem in se su-
 scipiat, vel ab eo se aut suum debitorem delegari passa
 est. *L. 2. C. eod.* Si fidejusserit pro suo fidejussore; si
 cum emisset hæreditatem, fidejusserit pro debitis de-
 functi, si succedat debitori, pro quo fidejussit, si eum
 defenderit, qui regressum contra eam habet. *L. 3. ff. eod.*
 his aliisque in casibus suum potius, quam alienum nego-
 tium gerit, & citra auxilium SCri efficaciter tenetur.

cium gerat in-
 tercedendo,
 obligatur effi-
 caciter.

§. XIII.

Interdum luci utilitate, non levitate ducta inter-
 cedit mulier, si nempè pro intercessione facta pecu-
 niam aut rem aliam mercedis loco admittat, hoc in
 casu cessat SCri Vellejani fundamentum, quod est ju-
 dicii sexusque infirmitas & rei familiaris periculum, &
 tali modo mulier augustissimi Senatûs privilegium
 pretio nummario æstimat, & quasi dehonestat. *HERING.
 de fidejuss. C. 7. n. 433. add. L. 23. pr. C. ad SCrum Vellej.
 Imò præsumitur in sua causa intercessisse. MENOCH.
 de presump. Lib. 3. pres. 21. n. 4.* Sed quantitas pretii,
 quod mulier accipit ad hoc, ut privetur SCTo, non est
 definita in jure nostro, aliqui requirunt tantum pecu-
 niam, quæ sufficit ad summam, pro qua intercessit, solu-

Si pretium in-
 tercessio
 accepit, re-
 gulariter non
 gaudet Velle-
 jano.

tionem, aliqui nihil interesse statuunt, siue exiguum siue
 magnum fuerit pretium, cum lex allegata 23. C. b. i. lo-
 quatur generaliter, non determinans certam quantita-
 tem, sic ut mulier aliquid, quantumque etiam accipien-
 do, suo beneficio censeatur renunciâsse. Quæ opinio,
 cum sit nimis dura, statuendum potius, quod id ipsum
 prudentis iudicis arbitrio sit relinquendum, in quibus
 enim certus modus, tempus & locus definitus non est,
 arbitrio iudicis decerni oportet. L. 135. §. 2. ff. de V. O.
 MENOCH. de A. I. Q. lib. 2. cent. 3. cas. 234. n. 3. adeoque
 iudex cum quantitate, quam mulier accepit, tum pro
 qua intercessit, rationem habebit, sic si accepisset de-
 cem, ut fidejuberet pro duodecim, non est audienda
 beneficio S. C. i. Vellejani, sed si accepisset tantum decem
 vel viginti, ut intercederet pro mille vel majori summa,
 videbitur accepisse modicum, ac perinde iuvabitur,
 ac si nihil percepisset. SICHARD. ad Rubric. C. ad S. C. i. m
 Vellej. n. 20.

Mulier do-
 nans, quod ra-
 ro fit, exce-
 ptione Velle-
 jani non audi-
 tur.

Quid si donandi animo intercesserit mulier? te-
 netur utique. Senatus enim obligatæ, non donanti
 mulieri succurrere voluit. L. 4. §. 1. ff. ad S. C. i. m Vellej.
 idque ideo, quia facilius mulier inducitur ad se obligan-
 dum, quam donandum, cum avarissimum sit genus mu-
 lierum, miraculose quasi, & contra sui sexûs naturam
 faciunt, quando donant. L. 33. §. 1. ff. de donat. int. vir.
 Uxor. SVRDVS Conf. 24. n. 5. Conf. 122. n. 3. Et quam-
 vis plus esse videatur donare & solvere, quam fideja-
 bere, quia tamen mulieres facilius seduci possunt, ut
 pro alio fidejubeant, seque obligent, quam ut donent,
 pro-

propterea senatus id, ex quo facilius damnum rei familiaris incurrere possunt, præcavere & inhibere voluit, facilius enim quæ fiunt, illa eò diligentius sunt tollenda *Nov. 94. c. 2.* Quod tamen verum est, si donatio traditione rei fuerit consummata, secus si tantum debitori rem non tradendo donat, sed pro eo solvere principali debitori promittit, eo casu mulier donandi gratiâ fidejebet, quare ex illa intercessione non obligabitur.
 ECKOLT. *ad ff. b. t. §. 9.*

§. XV.

Cessat SCrum Vellejanum, si mulier 25. annis major pro alia muliere, quæ matrimonium inire affectat, dotem intercedendo promittat. *L. 41. pr. ff. de jur. dot.* nec interest, sive pro se, sive pro extranea, sive pro filiâ suâ sponsonderit *L. fin. C. ad SCrum Vellej.* quippe & matris interest dotatam esse filiam, & quia ingens favor atque pietas hic versatur, meritò vis SCTo hoc casu est adempta, & mulier omninò compellitur promissionem suam adimplere, quia ferendum non est, quasi casu fortuito interveniente, mulierem fieri indotatam, & sic à viro forsitan repelli & distrahi matrimonium *L. ult. C. eod.* Sed si post contractum matrimonium pro dote, quam alius dare debuit, mulier se obligaverit, Vellejano locus est, cum hæc promissio dotis non dederit causam matrimonio contrahendo, & favor dotium non æstimatur ex favore matrimoniorum contractorum, sed adhuc contrahendorum. *L. 19. ff. de R. N.* Nec maritus se deceptum dicere poterit, qui, antequam mulier quicquam promisit, jam duxit uxorem.
 FABER *in Cod. lib. 4. tit. 21. def. 24.*

Pro dote intercedit mulier cum effectu ratione matrimonii contrahendi.

III X 2

B 3

§. XVI.

§. XVI.

Beneficia mul-
lieri non
comperunt, si
studiorum
causa inter-
cesserit.

Idem obtinet, si mulier studiorum causâ interces-
serit, quæ ferè semper causæ dotium æquiparantur, &
ejusdem favoris esse censentur. *SVRD. tr. de aliment. tit.*
8. priv. 2. imo causam studiorum magis privilegiatam
esse, quam dotem statuit. *PANORM. in Cap. fin. in fin. de*
jud. Sicuti enim mulier, ut mox dicemus, pro pia
causa efficaciter intercedit; ita etiam pro causa studio-
rum, utpote quæ gaudet privilegiis piæ causæ. *Auth.*
habita. C. ne fil. pro pat. in verb. hoc nostræ pietatis be-
neficium. Insuper privilegia concessa Ecclesiis & cle-
ricis ad Scholas quoque pertinent. *PANORM. in Cap. re-*
latum. de test.

§. XVII.

Favor piarum
causarum &
libertatis mu-
lierem privat
suis benefi-
ciis.

Aliæ occurrunt piæ causæ, in quibus mulier inter-
cedens SCTo non juvari communiter statuitur, utpote
si apud Ecclesias aliaque pia loca debitum à se solven-
dum receperit, cum magis succurrendum sit piis cau-
sis, quam imbecillitati muliebri. *MEV. p. 3. decis. 85.* &
parem cum dote favorem iisdem ob generalem ratio-
nem *L. fin. C. ad SCrum Vell.* JCTi attribuunt, *TIRAQUEL.*
de privileg. piæ caus. 140. Quod tamen limitatur, nisi
fœmina intercedens ex ista intercessione redderetur in-
dotata, nam publice interest dotes mulierum confer-
vari & eas remanere dotatas. *STRYCK. disp. de jur. pri-*
villeg. cont. privil. c. 2. n. 61. seqq. Similiter tenetur mu-
lier ex ratione pietatis, si pro pretio libertatis dando
Dominum manumittentem inter & servum caverit.
L. 24. C. ad SCrum Vellej.

§. XVIII.

Ex eodem fere fundamento tuta non est uxor SCto, si maritus ex causa delicti in carcerem detrusus & ipsa intercedendo sese obliget, captivorum namque & incarceratorum causa piissima dicitur *L. 36. C. de donat.* & satis laudabile & honestum est desiderium mulieris, quod virum non tam à carcèribus, quàm à pœnæ corporalis aut infamiæ periculo eximere velit. Ali- ter statuendum putamus, si pro marito ex causa civili & ob æs alienum contractum carceri mancipetur, nam tali casu vir captivus facilius ad beneficium cessionis regulariter confugere atque ita libertatem consequi poterit. *L. 1. §. 1. C. qui bon. ced. poss.* non ita in causa delicti. *FAB. in Cod. lib. 4. tit. 21. d. 16.* Idem sentiendum de pecunia in causam alimentorum familiæ conversa, in quam pro marito egeno sese uxor obstrinxit, nam & alimentorum causa maximè favorabilis & piis causis adnumeranda venit. *L. 14. §. 1. ff. de aliment. §. cib. Leg.* adeoque mulier pietatis oblita sese movens, non fruitur SCto, quia causa dotis & alimentorum pari passu ambulat, eundemque in jure nostro merentur favorem. *SVRD. tr. de aliment. tit. 8. priv. 2.*

Rectè cavet mulier pro marito ob delictum incarcerato, secus ob debitum civile. Item pro causa alimentorum in familiam impensorum.

Constat, quod geminationis ac reiterationis effectus maximus sit, majorem enim deliberationem & enixam voluntatem manifestò inducit. *KLOCK. V. 1. Conf. 37. n. 232.* & geminatio trahitur etiam ad incogitata, & allegationem erroris excludit. *TVSCH. Concl. 28. n. 95.* Præsumptionem ignorantix tollit & præsumptionem scientiæ sive notitiæ inducit *L. 1. C. de plus petit.*

Si mulier post biennium respectu extranei, reiteret intercessionem factam, SCti auxilio non juvatur.



BRVNN. *Conf.* 162. n. 240. Hic effectus etiam sese exferit in muliere perfectæ ætatis, quæ, si post primam intercessionem, elapso biennio, pro extraneo non marito se rursus obliget. *L. 22. C. ad SCtum Vellej.*, nullum amplius ex SCTo Vellejano rufugium quærere potest, quamvis hoc olim sine temporis determinatione admitteretur *L. ult. §. pen. ff. eod.* id ipsum tamen constitutione nova radiante *in d. L. 22. C. ad biennium extensum* est, ne brevi nimis spatio mulieres irretiantur, & sibi imputare debet mulier, quod tanto tempore non cogitaverit de commodo suo, & exinde non consilii infirmitas, sed constantia magis apparet, insuper præsumitur ex hujusmodi temporis prolixitate, non pro aliena obligatione se illigare, sed pro sua causa agere *d. L. 22.* & hanc præsumptionem esse juris & de jure, ita ut non admittat probationem in contrarium, statuit MENOCH. *lib. 3. præsumpt. 21. n. 2.* BRVNN. *ad d. l. 22.* Neque opus hic certioratione, cum non agatur de renunciatione juris, sed de confirmatione prioris obligationis HERING. *de fidejuss. C. 7. n. 450.* Quamvis hæc confirmatio non retrotrahatur ad tempus primæ intercessionis, sed à die ipsius confirmationis vires capiat. MENOCH. *cit. loc. n. 3.* Inde fluit, quod mulier modo à tempore confirmationis ad usuras moræ teneatur, neutiquam verò ratione temporis præteriti.

§. XX.

Requisita, ut
valeat inter-
cessio post bi-
ennium facta.

Itaque ut valeat hæc intercessio, hæc duo necessariò concurrere debent, 1. ut biennium post primam intercessionem elapsum sit; 2. ut cautio pro extraneo iterata sit. Nam si ante lapsum biennii reiteratio intercessio-

cessionis facta fuerit, æque non valet hæc, ac prima, siquidem mulier ex consequentia fragilitatis suæ in secundam jacturam incidisse dicitur. *d. L. 22. C.* Nec valet reiteratio intercessionis, si prima fuerit ipso jure nulla, sic si mulier pro marito suam intercessionem sive intra sive post biennium sæpius iterumque geminet, nihil agitur. *Nov. 134. c. 8.* Hinc patet discrimen receptissimum inter fidejussionem pro marito, & pro extraneo, nam fidejussio pro marito est ipso jure nulla. *Aurb. si qua mulier.* pro extraneo autem regulariter tollitur ope exceptionis, quia *SCrum* non potuit ipso jure tollere vinculum obligationis, bene tamen Imperator, qui propter metum reverentialem uxoris erga maritum, quem lex præsumit, & ob continuationem blanditiarum maritalium ad id commotus fuit. vid. *TIRAQUEL. de LL. Connub. in pr. n. 25.*

§. XXI.

Utrum mulier debita mariti defuncti absque præviâ renunciatione Vellejani & Auth. Si qua mulier. In se suscipere possit, ita ut efficaciter obligetur? mirus est inter Doctores confictus; Non pauci negativam & legibus & rationibus tueri allaborant provocantes *ad L. 1. pr. ff. ad SCrum Vellej.* ubi expresse Senatus consultum inhihet, *ne fœmine pro ullo intercedant*, ratio dictæ Legis additur §. seq. in verbis: *ita multo magis adimendum eis fuit id officium, in quo non sola opera, nudumque ministerium earum versaretur: sed etiam periculum rei familiaris.* Magis provocant *ad L. 2. §. 3. ff. eod.* ubi: *Sed etsi mulier defensor alicujus extiterit, procul dubio intercedit, suscipit enim in se alienam Obligationem: quippe cum ex hac re subeat con-*

Utrum mulier se defendere possit Vellejano, si debitum mariti defuncti agnoverit. Videtur hoc in *LL. fundatum.*

110481

C

denna-



deimnationem: Proinde neque maritum, neque filium, neque patrem permittitur mulieri defendere. Quod adhuc clarius elucescere putant ex L. 4. C. ad SCrum Vellej. in verb: Senatus consultum locum habet, sive eam obligationem, quæ in alterius persona constitit, mulier in se transtulit, vel participavit; sive cum alius pecuniam acciperet, ipsa se ab initio ream constituit. Ex quibus jam inferunt, quod mulier sive uxor (sive hoc fiat, constituendo, sive expromittendo, sive fidejubendo, sive defendendo) nullo modo suscipere possit alienam obligationem, nulla habita ratione sive sint personæ solutæ, sive maritatæ, sive maritus, pro quo uxor, uti ajunt, constituit, sit vivus sive mortuus, cum in rei veritate esset susceptio debiti alieni allegatis legibus inimica, & ratio d. L. r. §. r. nempe metus damni rei familiaris incurrendi (esset maritus in vivis, sive fatis concessisset) pro fœmina militaret. Secundum hanc opinionem nuperrimè Altdorffenses allegat LL. motos in certâ quadam causa judicasse meminî.

§. XXII.

Rationes dubitandi ex rationibus & auctoritatibus desumptæ.

Atque hæc sententia suis etiam non videtur destituta rationibus, eo quod mortuo licet marito, amor tamē & respectus conjugalis non tam citò perit; quò viduæ plerumque desolatæ infirmi & imbecillis judicii deceptæ ad putativum constitutum & susceptionem debitorum mariti facillimè persuaderi possint, maximè ob dulcem quandoque & viridem conjugis memoriam; ut in terminis definit CARPZ. *Jurispr. for. p. 2. C. 16. def. 3.* ibique GOSMINVS ab ESBACH. idem CARPZ. *tr. de jur. fœminar. singul. decad. 4. posit. 4. n. 15. seq.* quem sequuntur BRYNN. *ad L. 2. ff. ad SCrum Vellej. n. 11.* HARPRECHT.

PRECHT. Vol. 1. Conf. Tubing. 61. n. 86. Cui ad stipulati videtur TESSAYRVS, decis. Pedemont. 223. n. 5. in fin. ubi, mortuo viro, si mulier intercedat, nos in terminis juris de Vellejano loquentis esse, scribit. HEESER. de acq. conjug. p. 2. loc. 23. n. 86. & clarius n. 516. Putant enim quod pristinus amor non tam citò post fata dilecti in fumum abeat, & non rarò contingeret, ut vidua ex post facto præcipitantiæ suam deplorare necessum haberet. arg. L. 2. §. 2. ff. ad SCrum Vellej. cui accedit, quod uxor, siue sit in vivis maritus, siue mortuus, constituen- do aut fidejubendo damnum rei familiaris incurreret. vid. §. 21. in fin.

§. XXIII.

Attamen tantorum aliorumque virorum aucto- ritate salvâ, argumenta huc usque allata, aliæque, quæ ferè in idem recidunt, rationes tanti roboris non sunt, ut mulierem à solutione debiti maritalis, post mortem mariti, agniti liberemus; Imprimis enim certum est, & dissentientes diffiteri non possunt, quod rationes au- thenticæ si qua mulier, C. ad SCrum Vellej. nimirum me- tus reverentialis, blanditiæ aut sævitæ maritales post tumulatum maritum in totum & adæquatè cessent, consequens est, quod, corruente ratione tanquam ani- mâ legis, corruat ipsa dispositio legis, adeoque mulier novo forte amori inhians, & pietatis & affectionis erga maritum defunctum immemor hujus Authenticæ au- xilium frustra implorat. Nec Senatusconsultum Velle- janum juvabit, utpote quod præsupponit susceptionem obligationis alienæ L. 2. §. 5. ad SCrum Vellej. nec non in- tercessionem pro alio obligato d. L. 2. §. 1. Jam verò

Mulier debi- tum defuncti mariti agni- tum solvere tenetur, quin Vellejano aut Auth. si qua mulier sevesa possit.



marito defuncto obligatio in ejus persona radicata, hæ-
 rede non existente, planè expirat, *arg. L. 196. de R. T.* ita
 ut nec obligatio nec quis obligatus maneat, sed illud
 debitum antea in persona mariti radicatum cum mor-
 te illius plane desertum & extinctum est. Ac si
 uxor mariti superstes solutionem debiti jamjam extincti
 & mortificati de novo resuscitet, & ad id solvendum se-
 se per pactum obliget, nec est susceptio debiti alieni,
 nec constitutum, nec intercessio, sed pactum & conven-
 tio planè nova, quæ in persona mulieris primordium
 capit, & ad id servandum eò magis tenetur, quò magis
 nemo unquam dubitavit, quòd mulieres, extra Saxo-
 niam etiam sine curatore, omnia pacta & contractus,
 imò & regulariter donationes valide celebrare pos-
 sint. *L. 6. C. de revocand. donat. CARPZ. de jure feminar.
 sing. decad. 3. post. 1. n. 16.*, quòd in tantum procedit, ut
 nulla requiratur beneficiorum certioratio, aut renun-
 ciatio, propriam enim obligat personam, & pro nemi-
 ne intercedit, nec debitum tertii constituit. *MEV. P. 7.
 decis. 229.*

§. XXIV.

Probatur ra-
 tione & au-
 thoritatibus.

Quibus accedit, quòd mulier, ut supra §. 16. & 17.
 probavimus, in causis piis etiam sine certioratione &
 renunciatione intercedendo cum effectu obligetur, quis
 igitur negabit, quando uxor post mortem mariti ejus de-
 bitum, quòd ante fuit, in se per conventionem novam
 recipit, opus maxime pium esse? in quo absque hoc
 beneficium muliebre cessat. *DD. ad L. fin. C. de SCro
 Vellej.* cum mulier ex pietate famam, fidemque mariti
 conservat. *MEV. p. 7. decis. 229. REIGER. in theatr. jurid.
 ad*

ad rit. ad Scrum Vellej. n. 12. BERGER. Oeconom. jur. lib. 3. tit. 3. pag. 617. STRYCK. U. M. ff. lib. 16. rit. 1. §. 16. SCHOEPFFER. Tir. de Scro Vellej. n. 12. COTHMANN. Conf. 48. n. 5. Vol. V. LAVTERBACH. Colleg. theor. pract. lib. 16. tit. 1. §. 6. LYNCKER. in analect. ad Struv. Ex. 22. th. 4. §. 16., qui omnes & plures alii in nostram conclamant sententiam.

§. XXV.

Nihil movet, quod supra §. XXI. ex Legibus ibidem re-
 latis in contrarium adductum est, siquidem omnes ac singu-
 la obligationem alienam, cui mulier fidejubendo, consti-
 tuendo &c. accedit, praesupponunt, quæ in casu præsentis de-
 ficir, & nulla omnino fit mentio de marito mortuo, utpote
 de quo LLatores in dictis LL. vix cogitasse censentur, pro-
 preerea plus quam probabile est, quod loquantur de marito
 vivo, cujus obligationem mulier in se suscipere prohibitum
 est, neutiqum verò de mortuo. Neque convenit, LL. ad
 casus à Legislatore non cogitatos in præjudicium tertii
 extendere, & mulieribus plus favoris, quàm merentur, ac iis
 de jure debetur, attribuere.

§. XXVI.

Nec stringunt rationes obmoræ, nam illa, quod mu-
 lier ex pia memoria erga maritum ejus debitum agnoscen-
 do periculum rei familiaris incurrat, nimium probat, siqui-
 dem unanimis ferè etiam hoc in passu dissentientium DD.
 opinio est, quod mulier ferè pro dote, sumptibus studiorum,
 alimentorum aliisque piis causis, quin attendatur damnum
 rei familiaris, quod incurrit, recte intercedat, dein dona-
 re, quod tamen est suum perdere, ei permittitur; quæ ta-
 men, si illa ratio quid valeret, mulieri deberent esse pro-
 hibita. Hinc non videmus, quare uxor opus pium exer-
 cere, famamque mariti, agnoscendo debitum ejus, con-
 servare non possit. Prætereamus rationes, quæ ex jure
 Canonico huc afferri possent. Idem dicendum est, de
 imbecillitate & fragilitate sexûs, utpote, quæ quidem de
 sexu sequiori prædicatur, non tamen in specie ad qua-
 cun-

cunque privilegia mulieribus concessa, tanquam ratio semper & ubique concludens, extendi potest, alioquin facile eveniret, ut in quocunque negotio, quod tamen valide celebrare queunt, ad eam provocarent & illud annihilarent, quod tamen jura non permittunt. Quamvis largiamur, mulierem intra tricesimum à tempore mortis mariti inquietari non debere, ne nimio mœrore pressa operetur sui perniciem, ac damnum, & ansa ad precipitantiam provocandi, ei detur, sed tamen si ex post libere, dolo aut allo modo legibus inimico non inducta se obstringit, novo forte amoris furore obcœcata ad precipitantiam ob debitum semel agnitum convolare non licebit.

§. XXVII.

Si mulier testamento, aut morti vicina hæredibus mandat solutionem, non juvatur Vellejano.

Non dubitatur, quod exceptio SCti Vellej. & Auth. si qua mulier. etiam hæredibus mulieribus competat. *L. 7. §. 1. ff. de except.* atamen si mulier testamentum, aut codicillum condiderit, & solutionem hæredibus injunxerit, vel morti vicina præsentibus hæredibus mandaverit, exceptione Vellejani se tueri non poterunt, sed summam, in quam mulier fidejussit, post mortem ejus præstare tenentur ob favorem ultimæ voluntatis, quæ hæredibus semper sancta videri debet. *L. 1. C. de SS. Eccles.* obligabuntur enim per modum legati ad id, ad quod vi contractus vel intercessionis non tenebantur. SAND. *lib. 3. decis. Frisic. tit. 11. def. fin.* BERGER. *ad tit. SCti Vellej. in addition.*

§. XXVIII.

Mulier extrajudicialiter renunciat,

Volunt aliqui mulierem extra judicium SCto Vellejano renunciari non posse, quia non introductum unius atque alterius foeminae gratiâ, sed propter imbecillitatem torius sexûs, & eadem fragilitate inducta renunciaret, quâ contrahit vel intercedit, insuper renunciando deciperetur, & damnum rerum suarum incurreret. VALENT. FRANC. *tr. de fidejuss. c. 2. n. 189.* DONELL. HERING. & alii. Verum sententia, praxi quotidianâ receptissima est, mulierem de beneficiis suis edoctam extra judicium iisdem recte renunciare posse, quia in gratiam mulieris introductum est, ergo eidem recte renunciat *arg. L. fin. ff. de pact.* neque ullibi probatur, quod

quod beneficii ob fragilitatem sexus concessis nequeat renunciari, neque ratio reclamatur, cum alioquin mulieres etiam in uniuersum à Iudiciis forent arcendæ, quod tamen fieri non solet *GIPHAN. de renunciat. p. m. 70. vers. nec obstant.* deinde hæc exceptio est facti, ideoque tum demum locum habet, si opponatur: Secus si omittatur. Ergo ei bene renunciatur, cum major sit vis expressi, quam taciti *L. nonnunquam ff. de Condit. & demonstrat.* Nimum sane indulgeretur fragilitati sexus, si mulier certior reddita juris competentis, sponte & sciens volens renunciare nequiret. *GAIL. 2. O. 77. PERETZ. in C. h. t. n. 23. MEV. ad jus Lub. lib. 1. tit. 10. art. 1. n. 72.*

§. XXXI.

Hoc in tantum procedit, ut extra Saxoniam non sit opus curatore, siue in siue extra iudicium renunciet, quamvis quibusdam in locis, ubi jus civile viget, in superfluum adhibere soleant Curatores, hoc tamen minime necessarium & absque his efficaciter ligantur, modo sufficiens certioratio præcesserit, & subsecuta specialis renunciatio. *HERING de fidejuss. C. 7. n. 477. GAIL. cit. loc. & consultum est, si mulier extra iudicialiter renunciet, ut adhibeatur Notarius vel duo testes, ne mulier excipere possit, renunciationem minus legitime factam esse, imo si expressum fuerit in instrumento Notarii, mulierem fuisse certioratam, ei creditur, donec mulier contrarium probet, militat enim pro tali instrumento præsumptio veritatis. L. 14. C. de contrab. & committ. stipulat.* Quamvis quandoque non inutile sit, ut inquiratur, an ipse Notarius vim SCri vellejani intelligat, si enim nesciverit, vana ejus certioratio est. *BERLICH. p. 2. C. 19. n. 53.*

Etiam sine Curatore extra Saxoniam.

§. XXX.

Sed quid si mulier pro marito intercedat, an opus sit renunciatione jurata? hoc communiter volunt *DD. STRYCK. C. C. Sect. 2. c. 6. §. 4. BRVNN. ad L. fin. ff. n. 16. ad SCrum vellej. & alii;* ast nec hoc ubique locorum observatur, sic Lipsiæ mulier coram magistratu sine juramento cavet pro marito, modo tutoris auctoritas interveniat, *Extra Saxoniam sine juramento pro marito cavet mulier.*

PHILIPPI ad Decif. Elect. 6. O. 2. per tot. Quod & Erfurii aliiſque in locis extra Saxoniam etiam ſine curatore fieri poteſt. In plerisque tamen Saxoniam locis mulier juramento corporali in judicio & quidem pravia ſufficienti, certioratione, quid hujusmodi renunciatio, juraque mulierum nec non beneficium SCri Vellej. in ſe ſe contineat & quomodo intelligatur, in praſentia curatorum ſuorum ad litem, una cum ſufficienti comminatione renunciare debet, ut illa quoad dotem, donationem propter nuptias & dotalitium obligetur. Decif. Elect. JOH. GEORGII II. 25. verſ. So ordnen, ſehen und wollen wir. Si vero mulier extra Saxoniam jurato renunciaverit, non eſt opus certioratione, quia juramentum habet vim certiorationis, utpote quæ incogitorum, nedum incogitorum eſſe nequit. GAIL. 2. O. 77. n. 3. MEV. ad jus Lubecenf. L. 1. t. 5. 4. 7. n. 118. Quamvis tutius putet STRYCK. C. C. Sect. 2. C. 6. §. 4. ut accedat certioratio, ne mulier allegare poſſit, ſe ignoraffe, quid juraverit.

§. XXXI.

Referuntur
plures caſus,
in quibus
mulier inter-
cedendo obli-
gatur.

Si mulier communem negotiationem cum marito exerceat, ne bona fide cum ipſa contrahentes decipiantur, non juvatur ſuis beneficiis, modo eam in propriam utilitatem exerceat, & non ſolum operas uxorias praſtet. GAIL. 2. O. 90. n. 5. CARPZ. p. 1. C. 23. Def. 33. Si mulier per plures annos uſuras ſolverit alterius debitoris creditori ſine ulla mentione beneficii, hoc enim plus eſt, quam cautionem dare, & ſibi imputet, ſi quod ſapius cogitare poterat & evitare non fecit, ſed ultro firmavit. arg. L. 22. C. ad SCtum Vellej. MEV. p. 6. Dec. 299. n. 4. REIGER. theat. jurid. ad SCtum Vellej. n. 7. Si apud creditorem minorennem ſidejuſſerit, ſi vera bonorum communio inter conjuges obtineat, uti Lubecæ & Hamburgi. STRYCK. U. M. ff. ad h. l. §. 4. His aliisque in caſibus, qui adhuc allegari poſſent, niſi temporis anguſtia prohiberet, mulieres SCro Vellejano non juvantur. Et hæc ſunt, quæ de hac materia diſſerere volumus, lubentiſſime ſecuturi, meliora docentes.

SOL IDEO

SIT LAVS, HONOR & GLORIA.

ERFURT, Diss., 1730 (1)

ULB Halle


003 749 266

3



TA → OL





8908.

DISSERTATIO INAUGURALIS JURIDICA

57

DE 1730/14

15

MVLIERE
CONTRA
**SENATVS CONSVL-
TVM VELLEJANVM & AVTH.**
**SI QVA MVLIER, OBLI-
GATA,**

QVAM
ILLVSTRIS JCTORVM ORDINIS
IN ACADEMIA ERFVRTENSI
CONSENSV,
SVB PRÆSIDIO
DN. CONR. WILHELMI *Strecker*,

JCTI,
JVRID. FACVLT. NEC NON JVDICII ELECTORAL. PROVINC. ASSESSORIS,
PROFESS. PVBL. ET SENAT. ERFVRT.
PRO LICENTIA
SVMOS IN VTROQVE JVRE HONORES ATQVE PRIVILE-
GIA RITE ET LEGITIME CAPESSENDI,
SOLENNI ERVDITORVM DISQVISITIONI SVBMITTIT
FRIDERICVS GOTTLOB *Wedt*
Dresdens.

ADVOCAT. SAX. IMMATICVLATVS.
IN AVDITORIO JCTORVM MAJORI, HORIS CONSVET.
DIE XXX. OCTOBRIS M DCC XXX.
ERFORDIÆ, Typis JOH. CHRISTOPHORI HERINGII, Acad. Typogr.